

1220.

[m. 7.]

autem quod velitis, sicut decet fidem vestram, id ad mandatum nostrum plenius perficere, quod adhuc pro nostra voluntate minus fecistis, parcimus vobis ad presens de tanto contemptu, vobis iterato mandantes ac districte precipientes sub debito sacramenti vestri nobis prestiti, et in fide qua nobis tenemini, necnon et gracie nostre optentu, quatinus omni dilacione et occasione postpositis, infra xv dies a litterarum nostrarum susceptione castrum predictum liberetis fratri W. elemosinario domini legati, qui ex parte ipsius legati ob hoc idem ad vos transmittitur; scituri pro certo quod nisi huic mandato nostro digno, sicut decet, favore optemperare curaveritis, ita quod ob hoc permiseritis vos vinculo excommunicacionis innodari, nos, quantumcunque personam vestram amplius dilexerimus, extunc tanto gravius in vos per terras, res, possessiones, et baillivas vestras manus nostras curabimus aggravare, quanto majorem pro tanto contemptu et inobediencia vultus nostri indignacionem ex operibus vestris digne promerulistis. Ad hoc siquidem quod per litteras vestras consilio nostro significastis deductum fuisse vobis in pactum per justiciarium nostrum et episcopum Wintoniensem de faciendo vobis restitutione illorum que posuistis in opere predicti castri remanente priusquam castrum illud restitueretis, vobis respondemus quod si prefati justiciarius et episcopus vobis per se restitutionem aliquam promiserint, nullam nobis inducit promissio illa obligationem vel vobis excusationem de non faciendo quod vobis viva voce, et per litteras nostras patentes, de prefato castro facere precepimus. Ad id quod ex litteris vestris cognovimus ad excusationem vestram fuisse assertum dilectum et fidelem nostrum H. de Baillol vobis inhibuisse, quod vix de eo crederemus, quod castrum predictum non redderetis priusquam ei de manerio de Mere justicia exhiberetur, vobis dicimus quod, habito super hoc inter consilium nostrum tractatu, veraciter protestantur de consilio nostro majores nullam factam fuisse mentionem de manerio illo de Mere in conventionem facta cum eodem consilio nostro super castro de Midford predicto R. restituendo. Veruntamen mandavimus eidem Hugoni ut ad nos accedat cum litteris quas ei fieri fecimus de saisina illius manerii habenda et plenam ei faciemus in curia nostra de eodem manerio justiciam exhiberi. Teste H. etc. apud Westmonasterium, vj die Februarii.

*De firmando castro Srewardin.* Rex omnibus fidelibus suis tam militibus quam aliis de comitatu Staffordie, salutem. Mandamus vobis rogantes quatinus auxilium faciatis dilecto et fideli nostro Henrico de Aldithele, vicecomiti nostro, efficaciter ad firmandum castrum nostrum de Srewardin sicut ei precepimus. Teste H. etc. apud Westmonasterium, vij die Februarii. Per consilium domini regis.

*De duello percusso.* Rex omnibus etc., salutem. Sciatis quod de voluntate et assensu nostro percussa fuerunt duella in comitatu Staffordie, inter Hobbe the Werewede, probatorem, et Walterum in th